

Anno Domini M.CCCCLII. ad Nonas Februarij

Franciscus Pelusius Lugdunensis *φρατορύκτης* senex sexagenarius. dum in colle D. Sebastiani, in villa Ludouici Dheiræi puteum foderet altū pedes 40. egesta terra desu per irruenti ad profunditatem triginta quinque pedum, oppressus est fossor viuus, qui incumbenti periculo: quod fortè præsens habuit tabulatum opposuit: sub quo recl-natus, & à cadenti mole protectus, aëris, & spiritus aliquantum retinuit: quo septem dies, noctesque vixit, sine cibo & somno. sola vrina epota stomachum roborans, & omnis dolori expers, atque adeò mœstitiæ, Quinetiam spei plenus (quam in solum Deum collocarat) idem idem auxilium sibi saluo in clamās, sed à nemine auditus. cū tamen ipse superiorum motus, strepitus, & verba audiret: horasque sonātes numeraret. Post septimum deinde diem, cū ipsi iam conclamato pararetur pheretū: effossusque esset magna ex parte puteus, repente audita est vox eius de profundis clamantis: quamprimū secutus est pauor, ac si spiritus exauditus esset subterraneus. mox clamore perseverante iniecta spes: & accelerata effossio: donec viuus, & valens hausto prius vini calice per funē euectus est: viribus adeò integris: vt ad se tollendum neque se ligari passus sit: neque aliena ope vti voluerit. Sensu verò adeò sano, vt etiam iocabundus, crumenaque prompta, & pecunia numerata, diceret se cum benignis hospitibus diuersatum: apud quos ne teruncium quidem per septem dies impendisset. Et mox ad opus est reuersus superstes adhuc cū hæc scriberem.

Eodem tempore, ac in eiusdem Lodoici ædibus, aliud accidit portentum. Felis namque domestica inter reliquos foetus numerosos enixa est catellum viuum monocephalon bicorporem, octipedem *ἀρσενικλυκον*, vtriusque sexus corporibus sic inuicem cōplexis, & in vnum caput coeuntibus, vt amplectentiū, & osculantiū speciē præberent. Quæ sanè signa salutis, abundantiae, & amoris cōcordis præsaga esse creduntur. Qui vidit testimonium perhibuit.

B. A N V L V S.